Q. F. F. F. Q. S.

QUÆSTIONES DUODECIM

AB ILLUSSTRISSIMIS VIRIS

R.D. JOANNE-FRANCISCO IMBERT Universitatis Cancellario amplissimo & Judice, HENRICO HAGUENOT Decano admodum Venerando, ANTONIO FIZES, FRANCISCO DE SAUVAGES, FRANCISCO DE LAMURE, GABRIELE-FRANCISCO VENEL, CAROLO LE ROY Regis Consiliariis & Medicis, Professoribus Regiis meritissimis

PROPOSITÆ

In Aulâ Episcopali Monspeliensi coram Illustrissimo ac Reverendissimo D. D. FRANCISCO-REGINALDO DE VILLENEUFVE Monspeliensium Episcopo, Comite Melgorii & Montisferrandi, Marchione Marquerosæ, Barone Salvii &c. & Regi à Consiliis Secretioribus

Pro Regiâ Cathedrâ vacante

Per promotionem R. D. JOANNIS-FRANCISCI IMBERT Professoris Regii clarissimi ad Cancellariatum dictæ Universitatis

Quas Deo favente, & auspice Dei-parâ, propugnabit in Almâ Monspeliensi Medicinæ Universitate triduo integro manè & serò, diebus scilicet 24°. 25°. & 26°. mensis Julii anni 1760

PETRUS-STEPHANUS CRASSOUS D. M. Monspeliensis.



MONSPELII,
Apud AUGUSTINUM-FRANCISCUM ROCHARD, Regis & Universitatis Medicinæ Typographum unicum 1760.

PETRUS-STEPHANUS CRASSOUS

VIRO OPTIMO **** AMICO SUO

S.

Plerique in votivis Tabulis nomen, genus, honores, opes, patrocinium denique ita ambiunt, ut non tam Mœcenati cuidam quam ſibi opus vovere videantur. At ego cum hoc-ce opus tibi vovi, amicitiæ ipſi vovi. Te amicum fidelem hucuſque expertus ſum: & quaſnam laudes hæc laus non complectitur? noſti tu, nôrunt omnes (iique in iſtâ ſæculorum fœce pauciſſimi) qui jura amicitiæ, quid valeant, quantum valeant, ſentiunt.

Nec eo ſolum nomine hæ Theſes tibi nuncupandæ. Tu primos in Arte Medica greſſus direxiſti: ſtudia nempè ſuaſeras; &, ô! ſi magis obſequioſum habuiſſes Diſcipulum! opus iſtud pro temporis auguſtia minus concinnum, attamen & me & te magis dignum videri potuiſſet. Tu in innumeris quæ nos, fluxi ævi homunciones, undique circumvallant miſeriis, ægroto animo ſolamen attuliſti, in te ægritudinis dimidiam partem transferens. Tu me..... ſed quid ego imprudens? amicitiæ bona tenebrarum magis Amica ſunt, quam ut in lucem proferantur. O amicitia! divorum munus egregium, in me tota rue; animum, pectus, me totum occupa. O Amice! in tuî ſinu (ſi umquam fata ſinant meliora) olim gratiſſime conquieſcent omnes cogitationes meæ. Vale, & me tantum ama, quantum à me amaris.

DABAM Monſpelii die 8a. menſis Julii anni 1760.



QUÆSTIO PRIMA:

Cujusnam explicatu difficilior sit, an deglutitionis, an respirationis mechanismus; & juxta quas leges utraque exerceatur functio?

1. 
EGLUTITIO est ea functio cujus ope tum esculenta, tum potulenta ex ore ad usque ventriculum deducuntur. Ea vero functio, qua aër alternis vicibus pulmones ingreditur, & ex iis eliminatur, respiratio audit: circa quam duo præprimis distinguntur tempora; alterum inspirationis quo fit aëris introitus, expirationis alterum quo ipsius exitus contingit.

2. Mechanismus est modus agendi organorum seu machinarum quibus potentia motrix applicatur. (Ill. Sauv. Physiol.) Ergo mechanismus deglutitionis & respirationis est modus agendi organorum seu machinarum variarum quibus potentia motrix sub binæ hujus-ce functionis exercitio, applicatur. Porro circa deglutitionis & respirationis mechanismum quæritur primum uter sit explicatu difficilior; quod quæsitum sic sequentibus solvimus.

3. Difficultas in explicando functionis datæ mechanismo, seu difficultas exponendi agendi modi organorum vel machinarum variarum, sub potentiæ motricis actuatione, datam functionem perficientium, eo minor est, quo perfectius, adæquatius, certius cognitus est eorumdem agendi modus. Ergo in data functione quo plura erunt ignota, minus bene cognita, dubia circa agendi modum instrumentorum quibus ea peragitur, eo explicatu difficilior erit functio hæc, alterâ. His præmissis evolvamus agendi modum eorum omninm quorum actioni debentur deglutitio & respiratio.

4. Deglutitio fit motu linguæ bolo alimentari onustæ, expansæ, & fornici palati applicatæ retractorio, successive postica versus bolum urgente; ampliatione sacci pharyngaei ad anteriora & superiora tracti

per mufculos quibus os hyoïdes & larynx furfum & antice ducuntur; contractione mufculorum laryngem retrorfum & inferne trahentium, nec non contractione fibrarum mufcularium pharyngis parietibus circumpofitarum; quibus bolus acceptus trans laxatum conftrictorem œfophagi adigitur; contractione ejufdem mufculi fuam ipfius relaxationem excipiente; tandem actione fibrarum œfophagaearum, tum circularium, tum longitudinalium fucceffivâ, qua bolus ad ventriculum ufque depellitur.

Interim dum hæc fiunt, impedit deglutiendorum per nares regreffum velum palatinum furfum determinatum, deorfum tractum, expanfum, atque ea pharyngæum faccum verfus urgens; eorumdem vero in glottidem illapfum epiglottis depreffa, laryngi fummo, operculi exquifite conniventis inftar, aptata, nec-non arytenoidaeorum contractio, ex *Boerhaavii* mente.

5. Declaratus variorum deglutitionis inftrumentorum agendi modus multiplici argumentorum genere ita aftruitur, ut de affignato mechanifmo nullus fanior ambigat: hunc autem evincunt tactus, vifus, digitus immiffus, anatome, imitatio quorundam motuum deglutitoriorum in cadavere facta, morbi partium recenfitarum.

6. Refpiratio infpiratione & expiratione abfolvitur. Infpiratio fit ampliato thorace per coftarum elevationem, fterni dimotionem à columna vertebrali, contractionem diaphragmatis verfus abdomen complanati, aëre tracheam tunc fubeunte, & cellulas pulmonales expandente. Expiratio fit arctato thorace per coftarum depreffionem, fterni ad columnam vertebralem acceffionem, diaphragmatis retrogreffum, aëre ex ductibus pneumonicis arctatis tunc temporis expulfo. Verum per quas potentias & quonam modo fiant præfatæ thoracis ampliatio & arctatio, plurimum ac varie controvertitur. Sunt qui independenter ab omni prævia corporis mutatione, aëris ingreffum ex aëris interni rarefcentia & fuborta exinde refiftentia minori perperam deduxêre; nullas infuper quibus loca intercoftalia ampliari poffint mufculares potentias agnofcentes.

Præviam in corpore mutationem, quam in parietum thoracis extrorfum facta motione fitam effe volunt, admittunt reliqui omnes Phyfiologi: aft de vi qua aër pulmones ingreditur acriter litigant; alii preffum à thorace ampliato & ab abdomine elevato his circumfufum aëra compelli male perhibent in tracheam minùs refiftentem; alii, & hi certè plurimi, aëris ingreffum ex ipfius pondere & elafticitate repetunt verofimiliùs. Neque hi ultimi in omnibus etiam confentiunt: dantur enim graviffimi viri quibus infpiratorii funt mufculi intercoftales externi & interni; funt & alii notæ non levioris quibus externos infpirationi, internos expirationi famulari creditur. Nec idem eft apud

hosce omnes numerus musculorum qui adhiberi debent. Quid dicam de aëre thoracico cujus existentia his admittitur, istis negatur? quid de musculis expiratoriis quos nullos esse quidam sentiunt? quid de prima inspiratione? quid de causa inspirationem & expirationem reciprocante? quid de viribus dilatatricibus pulmoni propriis, à veteribus nonnullis admissis & ab Authore nupero revocatis &c. &c.

7. Patet ex modo dictis in varias atque multiplices sententias Physiologos scindi, dum respirationis mechanismum explicare satagunt: patet plurima esse incerta, minus cognita circa numerum & agendi modum potentiarum quibus ea functio perficitur.

8. Collatis quæ in n. 5. & 7. protulimus, concludere pronum est majorem in explicando respirationis quam deglutitionis mechanismo subesse difficultatem: cujus binæ functionis leges nunc sunt expediendæ.

9. Modum quo peragitur deglutitio sufficienter exposuimus in n. 4°. Quo autem modo perficiatur respiratio declaraverimus, si iis quæ in n. 6°. diximus sequentia addamus. Elevari costas, sternum, musculorum intercostalium externorum & intercartilagineorum actione: deprimi diaphragma contractione propria: thorace his ampliato, aërem thoracicum, spatium majus nactum, rariorem factum minus resistere quam antea aëri externo qui glottidem, tracheam subire, & vesiculas pulmonales expandere debet: deprimi costas, sternum musculis intercostalibus internis, sternocostalibus, infracostalibus, cartilaginum restitutione: retrogredi diaphragma tum restitutione ipsius elastica, tum musculorum abdominalium actione: coarctata his thoracis cavitate, pressum aërem thoracicum superficiem pulmonum premere, ex quibus per tracheam glottidem &c. eliminabit aërem distendentem: concurrere etiam ductuum aëreorum constrictionem mediante musculorum mesocondriacorum, nec-non fibrarum cellulas pulmonales componentium; elastica, imò & juxtà quosdam musculari energia: tandem reciprocum esse motum inspirationis & expirationis ob vim stimuli alterne determinantis inspiratoriarum & expiratoriarum potentiarum actionem. Patet jam respirationis mechanismus. Ergo

Mechanismus respirationis explicatu difficilior est mechanismo deglutitionis, & habentur leges juxta quas utraque exercetur functio.

QUÆSTIO SECUNDA.

Salium systema naturale ordinare.

1. IN scientia naturali primum & ultimum quæsitum est methodus naturalis (Linn. class. Plant.) In methodo naturali quacumque nulla valet regula *à priori*, neque una vel altera pars, proprietas, attributum, sed solùm, simplex partium, proprietatum, attributorum omnium symmetria (Linn. ibid.) In scientiæ naturalis partibus excultissimis & omnium optime cognitis nondum detectum est systema naturale. Hinc patet pensi impositi præstandi difficultas, explendi impossibilitas.

2. Præcipuæ de Salibus methodi sunt Walleriana, Rouelliana & Linnæana. Wallerius in Mineralogia, Rouellius in Comm. Acad. Paris. salia tum naturalia, tum arte facta persecuti sunt; Linnæus in naturæ syst. naturalia tantum. Salia varia systematice ordinaturi, ea sequenti methodo distributa volumus, quæ nobis magis naturalis visa est. Salia sunt acida, alkalina, neutra; neutra sunt Vitriolica, Nitrosa, Muriatica, Vegetabilia, Animalia, Arsenicalia. Hinc octuplici divisione nostra incedit methodus.

3. Salia sunt corpora sapida, aqua solubilia (vel soluta) cristallos polyedras formantia. (Linn. syst. nat.) Hic character, quamvis non omnibus salibus secundum omnes suî partes conveniat, nobis omnium optimus videtur, qui distributioni methodicæ præfigatur.

4. SECTIO 1ª. SALIA ACIDA.

Acidum Vitriolicum. (Hùc acidum aluminis, sulphuris.)

Acidum nitrosum.

Acidum muriaticum. (Hùc Sal succini volatile.)

Acidum vegetabile. (Nunc naturale est in planta, ut in citro &c. nunc post fermentationem obtinetur ut Tartarus, Acetum.)

Acidum Animale.

SECTIO 2ª. SALIA ALKALINA.

Alkali vegetabile vulgò sic dictum. (Hùc nitrum fixatum, cineres clavellati, Tartarus alkalisatus, &c.,

Al. minerale vulgò nuncupatum.

Sal *Tachenii.*

Al. volatile.

Sal alkali *Wallerii.* Natrum *Linn.*

Tartarus emeticus ſolubilis.
Tartarus martialis ſolubilis.
Nitrum arſenico-alkaliſatum *Macqueri.*

Sectio 3â. Salia neutra Vitriolica.

Vitriolum *Linn.*
Alumen *linn.*
Scelenites *Linn.*
Tartaratus Vitriolatus. (Hùc Sal polycreſtum *Glaſeri*, arcanum duplicatum.)
Sal mirabile *Glauberi.* (Idem eſſe ac Sal lixiviale Tamariſci invenit ac demonſtravit *Montetius* Chymicus peritiſſimus.)
Sal Sulphureum *Sthalii.*
Sal Calcis.
Sal Ammoniacale ſecretum *Glauberi.*
Sal Sedativum *Hombergii.*
Borax.

Sectio 4â. Salia neutra nitrosa.

Sal nitroſum terreum.
Nitrum *Wallerii.* (Hùc Sal Prunellæ, Cryſtallus mineralis)
Sal ammoniacale nitroſum.
Salia nitroſa metallica ſ. vitriola nitroſa.

Sectio 5â. Salia muriatica.

Muria *Linn.*
Sal febrifugum *Silvii.*
Sal ammoniacum.
Sal muriaticum terreum.
Salia muriatica metallica ſ. vitriola muriatica.

Sectio 6â. Salia neutra vegetabilia.

Salia tartareo-terrea.
Tartarus ſolubilis ſ. Sal vegetabile.
Tartarus regeneratus Ill. *Romiai.*
Sal polychreſtum *Saigneti.*
Tartarus ammoniacalis.
Salia tartarea metallica ſ. vitriola tartarea.
Salia acetoſa terrea.
Terra foliata tartari.
Tartarus regeneratus, vulgo ſic dictus.
Salia acetoſa metallica ſ. vitriola acetoſa.
Saccharum.
Sal eſſentiale Plantarum.

Sectio 7â. Salia neutra animalia.


Sal Microcoſmicum (V. Th. Ill. Venelii.)

SECTIO 8â. SALIA NEUTRA ARSENICALIA. *MACQUERI*.

Sal arſenicale neutrum nitroſum.

Sal arſenicale neutrum muriaticum.

5. Nos non latet multa hic deſiderari, talia ſunt ordinum caracteres, generum conſtructio ac notæ, ſpecierum ſub quolibet genere enumeratio, differentiæ, aliaque plurima, adeo (ut verbis utar Celebr. hujuſce licæi Profeſſoris) vaſtus fuit differendi campus, quem pro modulo expatiati ſumus.



QUÆSTIO ~~TERTIA~~.

Crassous

An Catalepſi Emetica?

1. NE ſub eodem morbi nomine plura morborum genera recenſeamus, quod in Catalepſi fecerunt antiqui & Neoterici plurimi, Catalepſeos genus ab Ill. Pathologiæ meth. Authore mutuabimur. Symptomata Pathognomonica ſunt ſenſuum internorum & externorum, nec-non motûs voluntarii abolitio, mira artuum ad ſuſcipiendos & retinendos motus inditos aptitudo & flexibilitas; ita ut toto paroxyſmi tempore, ſi ſibi-met-ipſi relinquatur æger, eundem ſitum ſervet quem primo invadentis morbi momento habebat, ſi vero ab adſtantibus in alio ſitu ponatur, eum facile ſuſcipiat, & niſi ab ipſo dimoveatur conſtanter retineat. (Path. meth. Seran. Theſ. Fernel. Path. Hiſt. 2. Ac. Par. A. 1738 & 42. Deydierus Conſult.)

2. Cæterum reſpiratio eſt nunc illæſa, facilis, nunc adeo debilis, ut abolita videatur. Pulſus modo lenis, lentus, pleniuſculus ut in ſomno naturali, modo naturali minor & tardior. Ægris de quibus mentionem injiciunt Ac. Par. Comm. oculi erant fixi, immoti, palpebræ apertæ. Mortui vero ritu jacebat *Fernelii* æger, qui prompte vorabat quidquid in os inſerebatur (Authorum modo citatorum Hiſtoriæ.)

3. Nunc ſimplex eſt Catalepſis (Act. Acad. Pariſ. A. 1738.) Nunc cum morbis aliis complicata: ut cum ſomnambuliſmo, cum mania & quartana (Ill. Sauv.) cum morbis convulſivis ſpaſmodicis obſervante *Deydiero*. Rurſus acutus nunc eſt morbus, nunc chronicus; recurrit ut plurimum per paroxyſmos modo frequentiores, modo rariores, modo febris quartanæ typum ſervantes. (Hiſtoriæ modo allegatæ.)

4. Catalepſim confundunt veteres ac Neoterici quamplurimi cum catocho, quem tamen ab ipſa ſeparat corporis totius rigiditas. (Ill. Sauv.) Summam fovet morbus noſter affinitatem cum extaſi, quæ ex modo laudato Authore egregio ab ea diſterminatur per phœnomena ſummam ad objectum aliquod attentionem indicantia, per miræ Cataleptorum flexibilitatis defectum, imo per corporis rigiditatem quandoque præſentem.

5. Quod Captalepſeos cauſas attinet, unam tantum allegabimus quam memorant Hiſtoriæ præfatæ: ſcilicet curas, mœrorem, verbo animi pathemata triſtia, anxia; ne fingamus, non referamus quid natura faciat aut ferat. Cauſam hujus-ce affectus proximam aliis lubenter relinquimus aſſignandam.

6. Gravis eſt affectus Catalepſis (Seran. Theſ.) periculum non celerius nunc tardius involvens. Ad Epilepſiam, Dementiam non raro ducit, & ſæpe affectu ſoporoſo jugulat. (Ser. ibid.) in Phrenitidem abiiſſe legitur apud Acta Ac. Pariſ.

7. Catalepſim curaturus duo diſtingue tempora, paroxyſmi nimirum & intermiſſionis. E paroxyſmo ſi frequenter ſolis naturæ viribus æger emerſerit, uti fieri ſolet, hujus finem expecta, & nihil molire niſi præ hujus duratione, vehementiâ, ægro timeas. In primo paroxyſmo, quia minus adhuc in aperto eſt morbi indoles & gradus, ægro opitulaberis venæ ſectione, ſi indicetur, & emeticis quibus nulla præſtantiora remedia; datis in intermiſſione cortice peruviano, diluentibus, ſtomachicis, cephalicis. (Seran. Theſ.).

E Catalepſi à phrenitide excepta, abſque remediis convaluiſſe mulierem teſtantur Act. Acad. Paris.

Venæ ſectionibus iteratis in brachio, pede, collo, catharticis pluries repetitis, juſculis aperientibus, opiata ex Kina-kina, cinnabari & pulvere de gutteta, balneis ſubfrigidis, martialibus per longum tempus uſurpatis remiſiſſe catalepſim ſomnambulatoriam ferunt eadem Comment.

In Catalepſi epileptica, antiſpaſmodicis, cephalicis, aperientibus, attenuantibus, ſtomachicis, Kinæ-kinæ, præire mercurium vitæ, ſ. pulverem Algaroth ſic dictum, vult Deydierus (Conſult. & Obſerv.)

Catalepſis quartanariæ paroxyſmum pluries depulit exhibitum emeticum. In catalepſi (alia ſilemus medicamina) proficua, convenientia, curatoria ſunt remedia Emetica. (Ill. Sauv. Claſſ. morb.).

His felicium practicorum documentis & obſervatis innixi concludimus. Ergo

Catalepſi emetica.

QUÆSTIO QUARTA.

An Diabeti mercurialia ?

1. ESSENTIALEM Diabetis caracterem in frequenti copiosæ urinæ emissione reponit Ill. Pathologiæ meth. Author. Novissimæ vero de Diabete dissertationis Authori magis arridet sequens definitio. Diabetes est copiosa & velox urinæ vitiosæ excretio, potulentorum assumptorum proportionem longe superans, cum siti intensa & totius corporis colliquatione conjuncta.

2. Hujus affectus ut plenior habeatur notitia, juvat hîc, quod fecit *Listerus*, omnium accuratissimam *Aretæi descriptionem* subjungere. In primis morbi initiis os siccum, saliva albida, spumans, ut in sitientibus, præcordia gravia, calor aut frigus à ventre in vesicam tendens, sitis adhuc nulla, quæ tamen accedit in gradu primum mitiori, lotium paulo copiosius quam moris est effusum : crescente morbo calefactio parva sed mordax viscerum, abdomen rugosum, venæ extantes, totus corporis habitus gracilis, aucta insigniter urinæ profluvium & sitis: perfecto morbo velox colliquatio & festina mors, sitis intoleranda, potus copiosus, multitudini tamen lotii non respondens ; æger nec à mictu nec à potu inhiberi potest, qui si punctum temporis à potu temperet, mox faucibus est siccis, corpore arido & viscera ipsi sua conflagrare opinatur, omnia fastidiens & siti ardentissima divexatus ; si vero à mejendo vel parum temporis abstinuerit, ipsi intumescunt lumbi, testes, ilia ; succedente autem mictione urina ipsi cum calore funditur & subsident partes tumidæ. Durat æger aliquod tempus, licet non admodum diu cum dolore mingens, atque atrociter colliquatus.

3. Urinam à diabeticis redditam, potum qualis assumptus est referre vult Galenus: idem testantur *Fabri. Hildani*, *Trincavellii* & *Amati Lusitani* observationes. Silet ea de re accuratissimus *Aretæus*. Falsum esse quod potus mingatur immutatus asserit *Listerus*, qui diabeticis semper assignat urinam aqueam, sub-pallidam, nec omnino colorationem, quamvis vinum rubrum potârint ; albidam, opacam vidit *Dodonæus* ; lenem, subdulcem esse vult *Listerus* ; *Meadius* sapore, colore, & odore melleam.

4. Causas varias quibus natales debet hicce morbus numero plurimas non recensebimus.

Ex *Aræteo* morbus aliquis acutus qui in renes impetum fecerit, & in crisi aliquod malignum virus latenter reliquerit, venenum aliquod perniciosum ex iis quæ vesicam & renes infestant, morsus dipsadis dia-

beti

beti ansam præbere possunt. His causis addit *Listerus* mala aliqua medicamenta, ut Antimonium diaphoreticum, mel crudum, & venenosum, balsamum *Capivi* dictum, opium, vina arsenico vel sulphuris fumo nimium medicata, medicamenta therebintinata, spiritus vini medicatos, & id genus plurima, tandem aquas minerales nonnullas.

Pro causa Diabetis proxima secretionem urinæ in renibus adauctam ponit novissimæ de Diabete Diss. Author, cujus secretionis augmenti causam esse vult tubulos renum uriniferos motu sistaltico frequentius concitatos. Concitantur autem juxta ipsum à materia quadam vellicante vel in ipsis renum tubulis, vel in vesica urinaria hærente.

Diabetes valde periculosus merito habetur affectus, quo ægros sæpius mori quam servari videas. Contumax est, difficilis sanationis, diutius plerumque perdurans, & medenti multum negocii facessens. Pro constitutione corporis laborantis modo citius, modo serius finem sortitur. Tandem sæpe lethalis censendus est pro causarum natura, intensitate, & propter gravissima quæ portendit mala. Cæterum multum omnino differt prognosis prout subjecta respectu ætatis, corporis, habitus, roboris & naturæ differunt, & prout causæ atrociores vel mitiores sunt tam ratione durationis quam eventus (Auth. modo citatus.)

In varias easque diversas circa Diabetis curationem sententias abierunt antiqui & neoterici. Authore Aretæo remedia quæ valent in hydrope valent & in Diabete, nec in bino hocce morbo dispar est victus vitæque ratio... Ex Dissertatione ab Illustr. hujusce Unversitatis Cancellario Archiatrorum olim Comite conscripta, emetica, cathartica ex adstringentium classe, martialia, mercurialia, cinnabarina, aliaque id genus aperientia, nec non sale volatili oleoso turgida, nunc probe competunt; nunc vero lenientia, edulcorantia, incrassantia, mucilaginosa, absorbentia & adstringentia: quam quidem posteriorem medendi methodum multo majori observationum numero confirmatam prædicat... Lac, fructus varios, ut poma, limones, fragas, &c. aquæ incoctos, quæ potui datur, vinum meracius adstringens, & hieram injungit *Listerus*... Serum lactis aluminatum plurimum valere ad fluxum diabeticum sistendum *Meadius* asseverat.. Ex novissimæ de Diabete Dissertationis Authore, primo divertendi sunt humores, & ad cætera cola derivandi, excitatis leniter alvi profluvio, diaphoresi, sudore, salivatione; secundo tollendus ille stimulus qui ductus urinarios juxta ipsum irritat; vel si expelli non possit materia vellicans, partis sensus obtundendus narcoticis, stupefacientibus; sin aliter, ad inertiam reducenda est materies hujuscemodi mucilaginosis, gummosis, farinosis, gelatinosis alimentis & medicamentis; tertio materia hacce ablata, vel in magno vitæ discrimine, etiam si ablata non sit, cohibendus est fluxus diabeticus acidis, stipticis; quarto denique gravissimis symptomatibus occurrendum. Adver-

ſus ſitim commendata vult idem Author aquoſa tepida, ſub-acidis maritata, ſerum lactis, decocta hordei, avenæ, panis dilutiora; potu parva copia ſimul ſed frequenter ingeſto. Cæterum mercurialibus tum externe tum interne adhibitis infenſus eſt quamvis luis venereæ ſuſpicio ſit in diabete... Non modo martialia ſed & mercurialia, imo frictiones quoque ex Unguento Neapolitano, modo ea quâ decet prudentia adhibeantur, adminiſtrari poſſe conſtanter aſſeverat Clariſſ. Chiracius.... Diabetem hydrargiroſi ſanatum fuiſſe ex Authorum ſcriptis colligi dicit Lazermius, qui, ſi luis venereæ ſuſpicio ſit quæ diabetem producat, hydrargiroſim adhiberi poſſe, prudenter tamen ne mercurius diabetem ejuſque ſymptomata augeat, in ſuis morborum curationibus conſignavit. In tanta Authorum diſſidentia, trium hujuſce licæi profeſſorum praxi feliciſſima percelebrium authoritate rapti, huic quem fovet lues venerea concludimus convenire

Diabeti Mercurialia.



QUÆSTIO QUINTA.

An Scrophulis Mercurius ?

I. SPECIES morbi Cachectici ſunt Scrophulæ ſeu Strumæ, quas cognoſces præcipue ex tumore glanduloſo, duro, renitente, mobili, cuti concolori, præſertim in colli glandulis, axillarum & inguinum conſpicuo; præterea fluxionibus oculorum, labii ſuperioris tumiditate, naſo mucum diſtillante cum rubore & dolore, genis latis, depreſſis temporibus, ventre tumido & duro, pedibus & manibus emacitatis, oſſibus flexis, tinea, herpetibus cruſtaceis, vultu pallido, virium languore, pulſu debili cum notabili functionum animalium læſione: quibus prægreſſis, in ſupurationem abire ſolent colli glandulæ, oculos corripit lippitudo, ectropium, corrugantur labia, mole augentur oſſium extrema, articulos ulcera adoriuntur, nec-non alias corporis partes, in ſocietatem veniunt tuſſis, febris; tandem macies, Maraſmus & Diarrhœa, mortis prænuntia, ægrum conficiunt. Deſcripta huc-uſque ſymptomata raro unà incedunt. Hæc inter familiariora habeto tumores in colli glandulis; ſunt qui ſignum hoc-ce pathognomonicum haberi velint.

Communicatur hic-ce morbus. Conjux conjugi, nutrix alumno

illum tranſmittunt. Hæreditaria ſucceſſione à patre in natos tranſit. Sunt Authores qui illum vix ac ne vix quidem communicari credant.

2. Externæ ſunt Strumæ vel internæ, ſimplices vel complicatæ, benignæ vel malignæ, ulceroſæ, ſchirroſæ vel etiam cancroſæ, adhærentes vel non, hæreditariæ vel acquiſitæ, recentes vel inveteratæ, eſſentiales vel ſymptomaticæ, ſanguineæ vel phlegmaticæ.

Harum differentiarum ſigna enumeraturi, præcipuas ſeligemus, omiſſis quæ levioris momenti videntur, quæque de facili innoteſcunt. Simplices tumorem exhibent duriuſculum, mobilem, ſuperficiarium, circumſcriptum, æqualem, abſque rubore & dolore, glandulam tactu referentem, temporis lapſu ſchirreſcentem. Si inflammatio accedat, quod aliquando fit, exurgit phlegmone ſpuria laudabili ſuppuratione terminanda. Non facit autem ulcus ſuperveniens quominus hæc ſpecies benigna ſit, pote quæ remediis facile cedat. Malignæ tument, dolent, rubent & ſponte aperiuntur, duræ ſunt, inæquales, profundæ, fixæ, adhærentes, numero multæ, brevi creſcentes, in glandulis conglomeratis, partibus membranoſis, tendinoſis obſervatæ. Tumores aperti, ſi ſaniem emittant purulentam & fœtidam, partis texturam erodentem, ulceroſam ſpeciem conſtituunt. Si margines ulceris calloſi fiant & retorti, cum acutiſſimo doloris ſenſu & humoris virulenti ſtillicidio, canceroſæ audiunt, colore nigricanti & venis lividis inſignes. Complicationem cum lue venerea, ſcorbuto dignoſces ex immixtis horumce morborum ſignis. Abdominis tenſionem, fluxum chyloſum, maciem, atrophiam, maraſmum, tibi exhibebunt glandulæ mezenterii obſtructæ. Hæreditariæ num ſint, nec-ne declarabit ipſe æger.

3. Cauſas agnoſcunt Strumæ. 1°. Lympham acidam viſcidiorem in ſuis vaſis moras nectentem, ibique concreſcentem. 2°. Aquarum hauſtum malæ indolis. 3°. Vitam in locis paludoſis, uliginoſis. 4°. Uſum ciborum incraſſantium, ut ſunt fructus horræi immaturi. 5°. Chylum viſcidum. 6°. Nutrices dum pueros lactant gravidas vel ſcrophulas. 7°. Febrem lentam, variolas, ſcabiem inveteratam, nec-non repercuſſum Eryſipelas adſtringentium ope.

4. Moleſtiſſimus eſt hicce morbus, & curatu difficilis. Variat periculnm pro diverſis ſpeciebus, cauſa, partibus affectis, & ægroti temperamento.

Simplices ſive benignæ haud difficile ſanantur.

Malignæ magis habent periculi, magis & etiam ſi ulceratæ.

De Cancroſis vix ac ne vix quidem bene ſperare licet.

Quæ hæreditariæ ſunt nullam curationem admittunt niſi per longam tractationem: de iis quas nutrix puero communicat idem ferendum judicium.

Apud pueros, minus habent periculi. Puellis, ubi primum menstrua patiuntur, evanescunt Scrophulæ. Item in pueris, ubi semen emittere nôrunt. Quod *Faurum* impulit ut accusaret veluti Strumarum causam seminis refluxum in sanguinem.

Pueris familiaris, viros raro, si unquam, adoritur hicce morbus.

5. Curationem tradituri, si omnia remedia quæ hucusque tum ab antiquis, tum & à neotericis proposita fuere enumerare esset animus, in immensum excresceret thema hocce. Satis sit Bordevianam & Russellianam medendi methodum allegasse.

Bordevius tria in hocce morbo dinstinguit stadia. Primum illud est in quo virus scrophulosum, adhuc latens, & suis signis nondum sese manifestans difficile admodum & non nisi ab exercitatis in praxi viris dignoscitur.

Alterum est cum apparere incipiunt symptomata strumosa, glandulæ augeri, ulcerari, & alia plus minus vigere nostri morbi phœnomena.

Tertium denique cum morbus ad eum statum pervenit ut de illius existentia ne minimum quidem supersit dubium, scrophulas, tum augeri vel minui rarum. Stadium hocce frequentius observant practici; in quo remedia tantum palliativa adhibet Author prælaudatus. Sunt hæc diæta conveniens, lacticinia, cauteria, usus aquarum Baregiensium & *Bonarum*.

In 2°. stadio qui nihil aliud ipsi est præter febris depuratoriæ speciem, indicationes sunt morbum in suo cursu paulisper sinere, turbas nimias non excitare, & naturam in Febre salutari quam producit adjuvare. Omnem ipsi paginam implent Balnea aquarum Baregiensium, haustus earumdem, nec-non aquarum *Bonarum*, frictiones mercuriales, quibus in societatem veniunt amara, ut Kina-kina & absorbentia; præcedentibus vomitoriis. Quibus omnibus licet symptomata videantur augeri, nihil adeo metuendum est, postea enim sedantur, & curatio perfecta obtinetur. Aliquando curationem radicalem respuunt scrophulæ in secundo stadio, tunc palliativâ tractandæ. Hanc dabunt aquæ minerales supra dictæ, cum cautelis semper usurpandæ, tonica, absorbentia, purgantia, & præprimis cauteria.

Primum stadium illud est quod cognitu & curatu difficilius se præbet. In pueris qui à parentibus scrophulosis ortum duxêre difficile minus percipitur. Signa hujus-ce status diagnostica habebis, si palliditati, labiorum tumiditati, emaciationi & quandoque ingenii igniculis, addas voracitatem, vultum luridum, vocem raucam, verba pueri parentum suorum amasii molliuscula, scapulas elatas, & nescio quid sensu potiusquam dictu assequendum, quod hujus-ce morbi suspicionem injicit. In hoc stadio totus est Bordevius qui succum nutritium in melius mutet. Suadet remedia exhibere congrua parentibus, quod etiam in

nutrice

nutrice fieri vult. Lacti muliebri, lac vaccinum,caprinum,& his panatellas ex pane bene fermentato, addito vini cocti pauxillo paratas præfert, nec non chocholatam & castanearum pultem. Cæterum in stadii hujusce curationem palliativam advocat cauteria, venerem si ætas ferat, aquas *Bonas* aut Baregienses, Balnea frigida.

Scrophulas sanat Russellius electuario ex Æth. Miner. Oculis Cancr. Antimonio crudo, Æthiope vegetabili, pulv. Viper. Syr. viol. parato, ad quantitatem nucis moschatæ assumpto, & usu aquæ marinæ ad unum,duos,tres-ve cyathos quolibet mane usurpatæ. Curationem claudit fuci marini embrocationibus & balneis in mari. Has methodos in eo convenire videmus, quod utraque mercurium sive in frictionibus sive intus assumptum exhibeat. Itaque horumce virorum authoritate, & innumeris quas ipsi aliique referunt observationibus suffulti concludimus. Ergo.

Scrophulis Mercurialia.



QUÆSTIO SEXTA.

Vires Opii, ejusque agendi modum exponere.

1. VIRES Opii sunt somnum conciliare; partium sensibilitatem minorem facere; illarum motum imminuere; excretiones omnes (sudore excepto quem promovet) sistere vel impedire; si paulo majori dosi assumatur stuporem inducere, si maximâ, homini pro veneno esse lethifero.

2. Signa Opii paulo majori copia vorati sunt ex *Aëtio*, somnus gravis, frigiditas, pruritus intensus ægrum nonnunquam excitans, corpus Opium exhalans, maxillæ inferioris laxatio, labiorum intumescentia, singultus, nasi distorsio, pallor, ungues lividi, divulsa præcordia, respiratio parva & frigida, denique convulsio.

3. Partes per quas in corpus agit Opium sunt sulphur volatile narcoticum valde resolubile & evaporabile, in quod statim fatiscit, ubi primum in corpus admissum est. Evincitur tales partes in Opio adesse ex odore tetro quem spirat, ex analysi chimica, ex eo quod virtutem suam acida ipsi partim sufFurentur, ex iis denique experimentis quibus constat Opium si ope ignis vel alio modo quocumque sulphur suum amiserit, omne quod ipsi inerat somnolenti & nocivi deperdere.

4. Modum quo partes illæ effectus suos sortiuntur in corpore quod attinet, credimus partes nervosas ac membranaceas, ubi primum à sulphure illo narcotico afflantur, illico remitti ac relaxari; reliquas fibras nerveas per consensum eadem labe successive affici, ad usque cerebrum. Quæ opinio præ reliquis nobis arridet hisce potissimum de causis; Quia actio Opii prima fit in partibus quas primas tangit; Quia effectus exerit promptiores quam ut sanguinem intrasse vel ad cerebrum pervenisse potuerit; Quia sensus gravativus & compressivus circa ventriculum percipitur ab Opio largiori dosi assumpto; Quia nauseam, nonnumquam vomitum producit; Quia vertigo tenebricosa & stupor ab Opio inducta observantur, si incaute adhibeatur (qui effectus à stomacho pendent diffittente nemine;) Tandem quia in alia quacumque opinione explicari nequit quare Opii pillula, vix penitus nondum in ventriculo soluta, torporem inducat.

5. Dantur & alii agendi modi à variis Authoribus Opio attributi. Sunt qui credant Opium agere immediate in massam sanguineam; nec de ea quâ in illam agit ratione inter se consentiunt, resolutionem non nulli, alii coagulationem, hi præcipitationem, illi rarefactionem accusantes. Hi omnes vapulant ab Etmull. qui in sua Dissertatione de virtute Opii diaphoretica, evincit actionem Opii non immediate dari in sanguinem.

Alii existimant Opii effluvia sulphurea nervorum canales obstruere, & etiam fluidum nerveum cogere.

Tertia opinio est eorum qui illud medicamentum agere contendunt, non pariendo obstructiones, verum ipsas tollendo penitus, summa celeritate omnia permeando donec ad substantiam cerebri corticalem devenerit.

6. Enarratis Opii viribus & agendi modo, nonnulla de casibus in quibus convenit addimus.

Indicatur Opium quotiescumque gravissimi dolores ægrum vexant In insomniis & vigiliis nimiis. In sistendis motibus valde excedentibus, quibus nulla alia via auxiliari potest. Tandem in nimiis evacuationibus & humorum defluxionibus.

Prima indicatio satis superque patet ex iis quæ de modo operandi diximus n. 4. circa quam notabimus dolores hoc modo fere nunquam curari; sopiuntur tantum intacta mali causa. Radicitus curat ubi dolores à nimia fibrarum sensibilitate & irritabilitate suam mutuantur originem. Itaque in illis casibus, nec-non in aliis quibusdam, ubi symptomata violentiora mitiganda sunt ut tuto mali labes possit adoriri, & in iis morbis quos atrociores dolores ex benignis in lethales terent, Opium adhibebis suffragantibus felicissimorum practicorum authoritate & ratione.

Quoad fecundum cavendum eft ut ait Celfus ne quem volumus obdormire poftea excitare non poffimus. Cave præterea ne Opium præfcribas in vigiliis quæ oriuntur à nimio humorum motu cerebrum verfus.

3°. Circa motus valde excedentes quos Opio vel tollere vel imminuere fufcipis, perpende num motus illi fint falutares & à natura imperati, num vero fint paffiva fymptomata. Evidens eft pofteriora hæc tolli licere, econtra nefas effe naturam in fuis operationibus turbare.

Ultimo tandem Opium evacuationes omnes (fudoribus exceptis) quia fiftit, illud in alvi fluxu, Diffenteria injungere poteris, fed maximis cum cautelis. De ufu Opii in hifce morbis non una eft apud practicos fententia. Sunt qui in his cafibus narcotica non vereantur vocare necrotica. Sunt & alii qui Deos omnes obteftantur fibi numquam fere male ceffiffe illorum ufum. Hanc litem quia non nifi obfervatione dirimi poteft, ad feliciores practicos lubenter demandamus.

Cum diximus Opium evacuationes fiftere, verum diximus; verum & etiam dicemus fi addiderimus illud aliquando fuppreffas revocare. Hoc fit cum ob fpafmum fibrarum excretiones locum non habent. Quod fluxiones fpectat, nocebit Opium in defluxionibus à partium refolutione pendentibus, five in iis quas facit humor lentus, craffus & vifcidus. Sileo illud virium augmentum quod Kinæ-kinæ inpertit. Sileo vim ipfi ineffe qua motus non naturales quibus tamen affuevit natura inhibere novit. In genere vires ægrorum fedulo perpendendæ, num fint ferendo. Hinc liquet infantibus & fenibus minus tuto exhiberi Opium, quamvis parca dofi ipfis quoque propinet *Wedelius.* Duplici modo exhibetur vel fub forma liquida vel fub folida &c. Quæ Opii vires obtundunt habebis inacidis omnibus, Caftoreo &c. Si Opii effectus contrariis effectibus curare velis, aderunt falia volatilia urinofa, ftimulantia, emetica, cathartica, clifteres acriores, veficantia. Itaque.

Vires Opii, ejufque agendi modum expofuimus.



QUÆSTIO SEPTIMA.

Quanto majus ſit ſpontaneæ quam inoculatæ Variolæ periculum?

1. VARIOLÆ ſunt phymata inflammatoria ad externum corporis habitum tertio quartove die ab invaſione febris phlogodeæ ut plurimum erumpentia, octavo die aut circiter in ſuppuratum abeuntia, tandem relictis ſæpe in cute, faciei præſertim, foveolis quarto ſupra decimum die ſub forma ſquammularum deciduarum evaneſcentia. (Celeberr. Lamurii Theſes pro Regia Cathedra vacante.)

2 Omiſſis Variolarum ſpeciebus, cauſis, & curatione, pote quæ hujus non ſunt argumenti, ad prognoſim properamus. Sub finem ſæculi XVI. ex Europa in Americam tranſiit virus Varioloſum. Graſſatum in recens detectas regiones contagium centum millia Indorum jugulavit in ſola Provincia *Quito*. (Condaminius in Act. Acad. Pariſi A°. 1754.) Lethalem fuiſſe huncce morbum omnibus omnino qui fluvii Amazonarum ripas incolunt ſe vidiſſe teſtatur modo laudatus Author. In Regionibus Orientalibus tertiam partem eorum quos aggreditur, huic ſuccumbere aſſeverat *Maitlandus*. Necrologos varios quos habet Jurinus, illum præprimis cui ſuum nomen præfixit *Needlettonius*, ſi conſulas, in Anglia quintam partem Incolarum quos corripuit morbus periiſſe videbis. Tandem ſi adoptentur Jurini computa, quæ cauſam Variolæ ſpontaneæ favorabiliorem faciunt, ſeptimam partem hominum in epidemiis vulgaribus e medio tolli concludere pronum erit. Silemus ſtrages alias quas edit hicce morbus, cum lethum non infert.

3. Nunc periculum quod incurritur dum Variolæ per inoculationem communicantur expendamus. Sed ante brevis Inoculationis tradenda hiſtoria. Adeo antiquitus uſurpata fuit Variolarum Inoculatio in Circaſſia, Georgia, & in iis regionibus quas alluit Mare Caſpium, ut primam illius originem qui detegere velit, is oleum & operam ludat. Olim in Græcia & apud Turcas viguerat. Sub finem ſæculi proxime elapſi Conſtantinopoli recepta. Antiquiſſima & etiam in Angliæ Provinciâ *Gallarum*. Apud Sinenſes jam invaluerat ineunte ſæculo XVII. ſi fides *Entrecolleſio*. A 1717 Europæ innotuit ſcriptis ab Emm. *Timoneo* & Jacobo *Pilarinio* ad amicos Medicos Epiſtolis. Inſignis Matrona Anglica quæ conjugem ſuum legatum apud Turcas comitata erat, in Patriam

Patriam redux, Variolas inoculandi methodum attulit, facto in filiam periculo. Vires acquirebat eundo Inoculatio magnatum & ipsius Reginæ exemplis suffulta. Verum ignorantiæ & superstitionis armis expugnata brevi occubuit. An. 1727 Gallias nostras in Epistola à Medico quodam ad *Dodartium* Archiatrorum Comitem scripta appulit. Mox à Theologis & viris in Arte medica Celeberrimis *Chiracio*, *Helvetio*, *Astrucio*, maximo cum plausu excepta, brevi idem fatum ac in Anglia experta est. Nunc vero undique accensa & novum nacta splendorem scientiarum & literarum face, illustrior exsurgit. Verbo ita in Anglia, Dania, Suecia, Hollandia, Helvetia, Republica Genevensi, Basileæ, Italia, Germania, invaluit Variolas inoculandi methodus, ut neminem hodie habeat infensum nisi qui imperitus & male superstitiosus sit.

4. Non una est inoculationis methodus. Sinenses Gossipii ope pustulæ Variolosæ exsiccatæ pulvere onusti & in nares immissi hunc morbum communicant. Quæ methodus minus tuta videtur juxta experimenta apud Anglos in capite damnatis instituta. In Græcia & apud Turcas, materiem purulentam è phymatibus Variolosis recens extractam & adhuc calentem puncturis in varia corporis sede factis immittunt. In Anglia fuerunt qui Variolas inter se communicabant, brachio violenter perfricto supra pustulas exsiccationi proximas. Quas omnes methodos excepit tutior & salubrior, quam fere omnes jam recensitæ gentes adoptarunt. Sita hæc est (præparato primum subjecto per diætam & remedia generalia) in incisione in parte media & exteriore brachii utriusque infra deltoïdis tendinem facta, pollicem longa, qua cutis leviter scinditur, intra quam filum inseri debet ejusdem longitudinis ac incisio, materie purulenta è puero sano & Variolas benignas passo, impraegnatum. Elapsis horis quadraginta imposita tolluntur fascia & splenium. Vulnus deligatur semel in die, ægro interim ab aere externo inhibito. Die 6°. vel 7°. apparet febris rarissime symptomatis gravibus stipata. Die 7°. vel 8°. fit eruptio, qua vigente, minus rubent inflicta Brachiis vulnera, è quibus virûs Variolosi maxima pars cum uberiori materiæ purulentæ proventu effluit. 10°. post eruptionem die consolidari videntur vulnera; decimo quinto in cicatricem abeunt; 20°. evanescunt. Sæpissime evenit paucissimis inoculatos laborare pustulis, viru omni per vulnuscula erumpente. Antequam hac de re finem faciamus, monendum est vix ac ne vix quidem foveolas in cute relinquere morbum huncce dum sic communicatur. (Condam. variæ Dissert.)

4. Ex observatis Doctoris Angli Kirkpatrik, è mille inoculatis 8 periere. Alia vice intra duo millia duo tantum (id.) In Nosocomio Londinensi, quingenti sexaginta & sex pueri evasere uno excepto &

altero. Salisburii & Blandfortii è centum pueris, unam sibi sumpsit victimam Inoculatio. Ex *Langrishio* qui pueros mille inoculavit videmus unum periisse, reliquos evasisse. Idem Author è quingentis alia vice unum amisit. Chirurgus Anglorum Regis *Ramby* nomine plusquam octingentos vidit inoculatos ne uno quidem demortuo. Inter hæc computa medio sumpto, sequitur, adhibita inoculatione, rationem mortuorum ad eos qui evaserunt se habere ut 1 ad 376.

6. Collatis quæ in n. 2. & 5. diximus, patet periculum Variolæ spontaneæ esse ad periculum Variolæ inoculatæ ut 53 ad 1. Ergo patet

Quanto majus sit spontaneæ quam inoculatæ Variolæ periculum.



QUÆSTIO OCTAVA.

a D. Grassoy

Num motus convulsivi sympathici, ut sternutatio, ex sola vi à stimulantibus impressa, sine potentiæ sentientis & moventis concursu possint intelligi?

1. MOTUS convulsivus est violenta partis muscularis contractio à voluntatis arbitrio non pendens..... Motus sympathicus is dicitur qui in partibus plus minus dissitis propter alteram affectam exoritur ..... De stimulantibus solo nomine abunde cognitis, satis sit annotasse ea duplicis esse generis, mechanica alia, alia vero Physica.

2. Si Tabaci Hispanici aut Pulveris Helleborini granum naribus indatur (ut exemplum ab Illustrissimo Professore Regio allatum retineamus) percipitur in ipsis irritatio, sequitur sternutatio per intervalla ingeminata. Quo in motu celerrime coarctatur pectus omne, concutiuntur valide truncus & caput, cursu fragoroso & rapido per nares erumpit aër, transitus loca everrens. Itaque impressione per stimulantes pulveres in membranam pituitariam facta, excitatur in pectore motus maxime notabilis. Quæritur jam utrum ex sola vi à stimulantibus impressa, sine potentiæ sentientis & moventis concursu ingens ille pectoris motus possit intelligi? cui quæsito ut fiat satis dicimus 1°. Pulveres sternutatorios esse tantum motuum præstitorum occasionem, neque eos pares esse qui talem effectum mechanice producant.

2°. Ad potentiam ſentientem ac moventem confugiendum eſſe ut motus illi intelligantur.

3. Probatur primi aſſerti veritas ex eo quod quantitas motus, dum pectus & corpus omne ſternutatione concutitur, portentoſe ſuperet quantitatem motus in Tabaci vel Hellebori grano naribus immiſſo præſentis. Cum autem cauſa effectum numquam producat ſe ipſa majorem, liquet motum concuſſorium pectoris pro cauſa agnoſcere non poſſe pulverum horumce ſtimulum. Neque dicatur vigere inter nervos olfactorios & reſpiratorios ſympathiam, atque ita fieri motûs illis impreſſi cum iſtis communicationem. Nam, data communicatione hacce, cujus indoles altis jacet tenebris ſepulta, non minus tamen mechanices regulis adverſatur ſtimulum nervis olfactoriis inditum, ita reſpiratoriis communicari, ut exinde ſequatur ſternutatio; cum priores nervi majorem nequeant poſterioribus motum impertire quam quem ipſi acceperunt. Si ab applicato nervis olfactoriis ſtimulo neceſſitate mechanica proficiſcatur motus pectoris concuſſorius qualem exhibet ſternutatio, cur ſub narium irritatione determinatus hicce pectoris motus ſemper excitatur, nuſquam vero tuſſis, ſingultus, oſcitatio & ſimilia? certe non minus ultimis his motibus quam ſternutamento inducendis inſerviunt nervi reſpiratorii. Cur etiam, cum reciproca ſit omnis communicatio, ſtimulus glottidi applicatus tuſſim tantum, ſternutationem nunquam parit? tandem cum pulvis ſtimulans naribus inditus, tum inſpirationis tum expirationis tempore in membranam pituitariam agat, cur conſtanti naturæ lege præcedit inſpiratoriorum, ſequitur expiratoriorum muſculorum actio, quæ determinato modo ſemper fit, non millenis aliis æque poſſibilibus?

4 Sequitur ex dictis (3) recurrendum eſſe ad potentiam ſentientem & moventem quæ ſcilicet ſub ſtimuli naribus applicati actione, hujus excutiendi neceſſitatem ſentiat, & organa ad hunc effectum obtinendum apta moveat. Hac poſita probe intelligitur cur præſente in naribus ſtimulo, ſternutatio conſtanter præ alia quacumque inſpirationis & expirationis ſpecie contingat, quæ nimirum una valet ſtimulum è naribus depellere. Militant eadem rationum momenta pro alio quocumque motu convulſivo ſympathico ejuſdem ac ſternutatio generis. Ergo;

Motus convulſivi ſympathici, ut ſternutatio, ex ſola vi à ſtimulantibus impreſſa ſine potentiæ ſentientis & moventis concurſu non poſſunt intelligi,

QUÆSTIO NONA.

An adstringentium, imprimis validiorum usus, in Hæmoptoïcorum curatione tutus sit?

1. HÆMOPTISIS, Hæmoptoe, Sputum cruentum morbus est de hæmorrhagicorum familia, cujus præcipuum symptoma est cruoris expectoratio. Expectorare dicitur is qui quidpiam cum tussi trans laryngem è pulmonibus ejicit. (Sauv. Thes.).

2. Hæmoptisis dividitur in periodicam, erraticam; activam, passivam; habitualem, accidentalem &c. Alia fit à causa externa, ab interna alia.


3. Ad hæmoptisim necessum est 1°. Ut sanguis in pulmonum cavo effusus sit. 2°. Ut ille identidem vi sufficienti foras tussiendo eliminetur. Effunditur autem per rixim, diœresim, diabrôsim & anastomosim: diapedesim etiam sunt qui admittant, sunt qui negant. Porro silemus principia numero plurima quæ vitiis jam dictis ansam præbent. Eliminatur vero sanguis effusus à natura molestum quem patitur stimulum avertere satagente tussis ope. Ergo causa hæmoptiseos proxima est naturæ conatus resistentiis major ad sanguinem in pulmonibus effusum mediante tussi foras ejiciendum.

4. Cave sanguinem è ventriculi & œsophagi cavo è faucibus & naribus posticis, nec non ex ore antico ejectum pro hæmoptisi vendites. Distinctionem dabunt hæmatemeseos, rascationis, & expuitionis signa, nec non allegatus hæmoptiseos caracter.

5. Prognosim quod attinet, non idem est in omnibus hæmoptiseos speciebus discrimen. Hæmorrhagiarum omnium periculosissima est hæmoptoe (Nenter.) Quæ periodice, & statis veluti temporibus recurrit, nullamque tussim aut dispnœam suspectam post se relinquit, minus habet periculi. Hæmoptoici à parentibus Phtysicis nati omnium facillime in Phtysim incidunt (Nenter) Hæmoptoe ab anastomosi minus periculosa est, quam quæ à rixi. Omnium periculosissima quæ à diabrosi inducitur (Sennert.).

6. Cum variæ sint hæmoptiseos causæ, diversas quoque adimplendas venire curationes necessum est. Huc tamen redeunt præcipuæ. 1°. Ut Sanguinis copia tollatur, orgasmus compescatur. 2°. Ut ejusdem affluxus copiosior, impetuosior à pectore ad exteriores corporis partes avocetur. 3°. Ut spasmodicæ constrictiones quæ sanguinem ad pulmones validius congerunt laxentur. Hæc omnia præstabunt venæ sectio repetita,

repetita, refrigerantia, nitrosa, extremitatum inferiorum & superiorum in aquam tepidam immissiones, cathartica mitiora, antispasmodica, anodyna & similia. Quod adstringentia spectat, in hæmoptoes curatione, si de mitioribus agatur, ea tuta esse ex practicorum observatis pronuntiamus; validioribus, pote quæ minus securam operam præstent, ex eorumdem observatis interdicentes nisi in summo vitæ discrimine. Patet jam num in hæmoptoïcorum curatione tutus sit adstringentium, imprimis validiorum usus.



QUÆSTIO DECIMA.

An evacuationes vulgo criticæ dictæ, quibus datis sæpe solvuntur Morbi tum acuti tum chronici, causæ sint an tantum effectus & signa restitutæ sanitatis?

1. QUÆRITUR (ut propositum problema exemplo illustremus) an in Morbo quocumque plethorico Catameniorum fluxus criticus Morbum solvens sit causa an tantum effectus & signum sanitatis restitutæ? respondemus fluxum Catameniorum criticum esse causam & signum, nequaquam vero effectum restitutæ sanitatis: quod sequentibus argumentis stabilimus.

2. Morbus à plethora inductus est vel cum, vel sine infarctu locali. In 1°. casu natura ab exuperanti sanguine stimulata, salubri vasorum actione ita ad uterum sanguinem cogit appellere, ut sequatur Catameniorum fluxus qui Morbum solvat. Porro evidens est fluxûs hujus-cemodi beneficii tolli exuperantem sanguinis copiam, atque ita Morbi causam materialem. Ergo restitutæ sanitatis causa est in dato casu fluxus Catameniorum criticus. Est & etiam sanitatis restitutæ signum; etenim quidquid est alterius causa signum illius est: (Sauv. Path.) Ergo cum evacuatio Catamenialis critica sit restitutæ sanitatis causa, ipsius & etiam signum erit. Neque dixeris ideo fieri fluxum Catamenialem quia sanitas restituta est; atque ita hunc illius esse causam. Nam 1°. cum nullam aliam in dato Morbo plethorico factam fuisse evacuationem, neque alia quacumque via sublatam fuisse plethoram supponamus, præsente Morbi causa materiali, depulsum Morbum atque ita sanitatem restitutam fuisse dici nequit. 2°. Si restituta fuit sanitas, jam nulla est evacuationis hujusce

criticæ causa sufficiens; imo perperam ac morbosè instituitur à natura. 3°. Vigent Morbi symptomata donec absoluta fuerit evacuatio critica, & ea tantum omnino peracta, conticescunt. Ergo sanitas non restituitur nisi evacuationis uterinæ ope, sicque sanitas restituta evacuationis effectus non causa est.

3. Si cum infarctu locali sit morbus phletoricus; vel ex contingente evacuatione catameniali critica solvuntur infarctus & phethora, vel cessat primum infarctus succedente evacuatione critica, quæ Plethoram tollat. In 1°. casu ex jam dictis elucescit evacuationem criticam esse causam & signum sanitatis restitutæ, nequaquam vero ipsius effectum. In altero casu infarctum seu morbi congestorii depulsionem ab evacuatione critica quæ ipsam sequitur, atque eam pro causa occasionali agnoscit proficisci non posse satis superque patet. Nihilominus tamen restitutæ sanitatis effectus non est evacuatio critica per uterum facta, verum & etiamnum ipsius causa atque signum. Etenim ob Plethoram simplicem vel Cacochimiæ mixtam, in vasorum systemate auctam, vel ipsi denuo invectam per infarctûs resolutionem, sollicitatur natura ad Plethoræ hujusce ablationem, ut morbum quem mutavit, non superavit, penitus depellat, promoto criticè fluxu menstruo: ergo evacuatio hæc qua morbus ex integro judicatur sanitatis restitutæ causa est: esse & etiam ipsius signum, non esse vero ejusdem effectum ex argumentis modo allatis de facili comprobatur.

4°. Eadem aut similia valent rationum momenta pro morbo quocumque Plethorico, Cacochimico, detur infarctus localis necne; neque majori negocio evincitur evacuationem criticam qua solvitur morbus (sive per hemorragiam, vomitum, sudorem, urinas, alvum, ptialismum, expectorationem, fit hujus solutio) esse sanitatis restitutæ causam & signum, minime vero ejusdem effectum. Alia argumenta prætermittimus quibus thematis hujusce veritas astrui & etiam posset. Ergo

Evacuationes vulgo criticæ dictæ, quibus datis sæpe solvuntur morbi tum acuti tum chronici causæ sunt & signa, non vero effectus restitutæ sanitatis.



QUÆSTIO UNDECIMA.


Commentarium tradere in hacce Hyppocratis verba (de rat. vict. in Morb. acut.) At numerum Morborum plurimorum plane declarare ſtudentes, non recte ſcripſerunt. Neque enim quis facile numeret, ſi quis ex eo Morbum æſtimet, quod ab altero re quâdam differat; neque eumdem eſſe Morbum reputet, niſi eodem nomine nuncupetur.

1. COMMENTARIUS vel Commentarium eſt loci cujuſdam Authoris paulo obſcurioris dilucidatio. (Dictionar. Encyclop.) Itaque Commentarium tradere nihil aliud eſt quam explanare locum ita, ut circa Authoris mentem ne minimum quidem ſuperſit dubium. Ergo ſolutum erit problema, ſi ſenſum Hyppocratis (ſaltem quoad verborum vim) extra omnem controverſiam ponamus.

2. Librum ſcripturus Hyppocrates *de ratione victûs in Morbis acutis*, primo Cnidias ſententias [quid ſint Cnidiæ ſententiæ videre eſt apud Gal. in Hypp. Valleſium, Heurnium, alioſque Hyppocratis Commentatores, Gloſſatores &c.] omiſſionis vel negligentiæ arguit circa hoc argumentum: dein eas incuſat quod Morborum Hiſtorias habeant, quæ vel à minime peritis in Arte conſcribi potuiſſent; videlicet quæ nimium in rebus levioris momenti immoratæ eſſent, gravioribus aliis levi pede tranſmiſſis; ultimo tandem eas vituperat quod male diſtinxerint Morbos à Morbis, eoſque male definierint (Valleſius in Hypp.) Hâc in re bis peccabant juxta Hyppocratem Cnidiæ ſententiæ, & dum faciebant tot ſpecies Morborum diverſas, quot ſunt varietates vel leviſſimæ, & dum Morbos ex varia momenclatura numerabant; nihil morati eumdem Morbum varios apud Medicos varia nomina ſortitum eſſe. Primi erroris exemplum ſatis commodum ſuppeditant Herniæ. Detur Hernia Inteſtinalis incarcerata Sphaceloſa. Nonne ridiculus ſit qui pro diverſa ſpecie nobis obtrudat eamdem Herniam cum levi differentia Inteſtini intra ſaccum à gangraena rupti? Sic agebant Cnidii Medici ea de cauſa ab Hyppocrate merito vapulantes. Secundus error is eſt cum aliquis unum eundemque Morbum in duos tres-ve ſcindit, quia nempe apud Authores varios duo vel tria habet diverſa nomina: ut ſi v. g. Vitiliginem albam diſcretam Illuſtriſſ. Sauvageſii, Alphum Græcorum, Morphœam albam Arabum pro tri-

bus diversis Morbis habeat. Nunc vero legatur denuo locus Hyppocratis allegatus; speramus fore, ut vel minime attendenti luce meridiana clariora sint ipsius verba.

3. Si vero aliquis vellet sensum divi senis detorquere, & eo loco uti ad impugnandam nunquam satis laudandam methodum, qua morbi in classes, ordines, genera, species & varietates conjiciuntur, huic primo responderemus nativum & genuinum loci istius sensum eundum esse prorsus ac diximus: secundo, si obstinato animo semper in Hyppocrate videre vellet quæ nusquam ibi fuere, gravissimas illi rationes lubenter exhiberemus quæ militant pro methodo cui adversatur. Sed quia hæc non sunt pensi impositi, præ nimia temporis angustia ad ultimam Quæstionem nos denique proripimus.



QUÆSTIO DUODECIMA.

Quos Morbos ex quibus Spinalis medullæ ejusque Meningum affectionibus procedere conjectura assequi liceat? & an ad Artem promovendam utile futurum sit si imposterum frequentius in sectis cadaveribus hæc pars denudetur?

1. MORBOS ab Spinalis medullæ ejusque Meningum affectionibus procedentes conjectura assequendos (Morbi enim quos à jam dictis affectionibus procedere evidens est à nobis non expetuntur.) nullos alios novimus præter dolorem Pictonum Colicum s. Rachialgiam Astrucii: Partium quibus Nervi spinales prospiciunt Paralysim, nec-non earundem Convulsiones. De quibus pauca disputabimus, assignatis vitiis proëgumenis quibus Morbi jam dicti natales debent: thesim claudet responsio ad quæsitum de frequentiori medullæ Spinalis denudatione dum lustrantur denatorum Cadavera.

2. Rachialgia cognoscitur dolore Abdominis per pressionem non ingravescente, ad pectus & artus expatiante, vario, fugaci, temporario, partes varias derepente invadente & deserente, quas miserrime excrutiat & unde abit sanas dimittente & nulla in ipsis suî vestigia relinquente, Paralysi artuum sæpius inferiorum terminari solito.

3. Missis hujusce Morbi prognosi & curatione quæ non sunt hujus loci, ad causas rachialgiæ properamus ut vitium proëgumenum à quo illa procedit assignemus. Alii Bilem acrem ac mordacem haud exiguam, in

in cavo Intestinorum contentam ea lacessere, pungere autumant. Alii Bilem eandem intra Intestinorum tunicas aut duplicem Peritonæi vel Mesenterii membranam diffundi contendunt; cujus tenuiores partes non paucas celeri & subitanea quasi metastasi in Spinalem medullam rapi volunt, & facta Nervorum obstructione vel compressione Paralysim extremorum inducere.

Accusat *Dubesius* particulas è Mineralibus nonnullis exhalantes, inter spirandum, deglutiendum, imo per cutis spiracula intus receptas, in Stomacho, Intestinis, Mesenterio, Pulmonum vesiculis & vasorum anfractibus nidulantes, quæ harum partium Nervos irritent, vellicent. Tandem *Astrucius* Rachialgiæ sedem ponit in medulla Spinali, in cujus Cortice vel Membranis adesse vult infarctum sanguineum, lymphaticum-ve, quo præsente, Nervorum Spinalium principia primum lacessuntur, punguntur, stimulantur, unde dolores Rachialgici, quóque in dies aucto, tandem Spinalis medulla arcte comprimitur, unde Paralysis, amara dolorum medela.

4. Inter hæc diffidia circa doloris Pictonum Colici sedem cum quadam veri specie conjectari potest Spinalis medullæ Morbum esse Rachialgiam: probat Historia ægri ab *Astrucio* relata qui à gravi in Lumbos lapsu, cujus accidentia ad speciem depulsa non perfectè tamen sanata fuerunt, post plures annos ex improviso Pictonum Colico dolore afficitur, qui dolor post adhibita incassum remedia plurima tandem in Paralysim repentinam artuum inferiorum cum Vesicæ & Sphincteris ani paresi abiit, Vertebris Lumborum eodem tempore incomplete luxatis & extrorsum protuberantibus. Probant & etiam Colicæ Pictonum symptomata quæ ex aliorum Authorum sententiis non satis *Astrucio* intelliguntur: nec contrarium innuit medendi methodus quam *Dubesius* multiplici successu comprobatam clamat.

5. Partium quibus Nervi Spinales prospiciunt, Convulsionem, Spasmum, partium earumdem Paralysim à vitiis medullam Spinalem ejusque Membranas afficientibus procedere conjectari & etiam potest: quæ Morborum genera nec alia ratione, nec ab aliis causis proëgumenis inducuntur, dum à Spinali medulla proveniunt, quam dum affectis Encephalo ejusque Membranis natales debent.

6. Nullus est dubio locus quin ad Artem promovendam utile futurum sit si in posterum medulla Spinalis ejusque Membranæ, dum examini Anatomico subjiciuntur defunctorum Cadavera, frequentius denudentur: Quod toties præstandum quoties ea fuerunt Morbi symptomata quæ vel levissimam affectæ Spinalis medullæ suspicionem injiciunt. Vetat tempus plura profari de abstrusiori hocce argumento; Quod à nobis ita fuisse tractatum fatemur, ut Manus à quo profectum est peritissima, etiamnum desideretur. Assignavimus itaque

Quos Morbos ex quibus Spinalis medullæ ejusque Meningum affectionibus procedere conjectura assequi liceat? Et, sub quibus circumstantiis, *ad Artem promovendam utile futurum sit si imposterum in sectis Cadaveribus hæc pars denudetur.*

FINIS.

ERRATA.

Lectorem benevolum rogat Author ut Thesium lectioni Erratorum sequentium correctionem præmittere non gravetur; alia minoris momenti inter legendum emendaturus.

In Epist. nuncup. lin. 12. *augustia* lege angustia.
Pag. 4. Sect. 4. lin. 4. Parenthesi include Bourdelin. Macquer.
Pag. 4. lin. ult. Adde ad Alkali minerale referendum.
Pag. 5. lin. 7. *scelenites* lege selenites.
—— lin. 8. *Tartaratus* lege Tartarus.
—— lin. 12. Adde ad Tartarum Vitriolatum refer.
Pag. 10. lin. 20. *emacitatis*. lege emaciatis.
Pag. 11. lin. 30. *horræos* lege horæos.
—— 14. lin. 41. *terent* lege verterent.
—— 14. lin. 42. *authoriate* lege authoritate.
Pag. 15. lin. 27. *inacidis* lege in acidis.
Pag. 16. lin. 16. *amazonarum* lege amazonum.
Pag. 20. lin. 5. *hæmoptisis* lege ubique hæmoptysis.
—— 20. lin. 12. *dioeresim* lege diæresim.
Pag. 21. lin. 23. *beneficii* lege beneficio.
Pag. 21. lin. 28. *hunc* lege hanc.
Pag. 23. lin. *Hyppocratis* lege ubique Hippocratis.
Pag. 23. lin. 29. *paulo* deleatur.
Pag. 24. lin. 27. post *dolore* adde Epigastrii, dein totius.

FINIS.